Quæstio Cardinalitia agitanda In Scholis Medicorum

Die Jovis proxima 23 mensis februarii Præside M. Joanne de Renou Doctore Medico.

An hydrargyrus tutum Indicæ Luis Alexipharmacum?

Organum animæ corpus tribus tantum constat, solidis, humidis, et spirituosis: quorum jugi effluvio et nulla reparabili pereat, multiplices mutationes experitur. ab his ætatum ~~[illegible]~~ (quas certis annorum spatiis non possum definiri) differentias sumuntur. Ut et sunt varie quæque temperamenta sic sua victus ratio (qui plenior hyeme quam reliquis anni temporibus desideratur) sui quoque morbi necessarii interitus prodromi. pueri calidiores quam postea umquam epilepsias (post 25 annum insanabili) vomitioni, convulsioni (qui hypercatharsi, hæmorrhagias et acutis febribus supervenientes lethales) lumbricis et calculo sunt obnoxii. Juvenes ut sicciores, sic morbis vehementioribus, ut febribus peracutis divexantur. Ætate provectiores quibus calor jam pauperior est, melancholia, cholera (quæ pravitate vomitu ingravescit) dysenteria (cui vena sectio confert) tentantur. Senes frigidi sicci, imo frigidi humidi destillationibus, stranguria, dysuria, arthritide, vigiliis, morbisque soporiferis sæpe laborant. hi verò omnibus minimè periclitantur quorum ætati sua sunt congruentes.

Morbi formas omnibus ætatibus sunt certæ, qui cum formalia vitæ principia simplici qualitate tantum non immutent, sed etiam maligna, et abdita corrumpant, ista præsidiis non solum manifesta qualitate, sed etiam occulta agentibus sunt oppugnandi. Inter hos principatum tenent venenati, contagiosi, et pestilentes. Venenati ex assumpto, interno genito aut admoto veneno oriuntur. Contagiosi (quibus pueri citius quam senes, et viri quam mulieres prehenduntur) contactu solo aut fomite, vel ad distans communicantur. pestilentes non à cœlo, sed à solo aut aëre originem ducunt. Ex his priorum vires posterioribus includuntur. et ut febris sine peste, sic sine ~~peste~~ febre pestis esse potest, cuius causa communis et continens est insignis, et naturæ nostræ inimicissima putredo: quas colligit afficit et inficit serius cibatus, abstemiosos οἰνοπότας, cacochymos εὐχύλους.

Novorum vero morborum alii nascuntur ἀπὸ τῶν ἐνεόντων ut qui ex inquinamentis uteri prodeunt, alii ἀπὸ τῶν ἔξωθεν. Ex illis sunt elephantiasis, lues venerea nobis dicta, morbilli et variolæ; qui quamvis inter se convenientiam seminariis ex reliquiis menstrui sanguinis superstite, dissident tamen suscitabulo, quod cum sit virium Ægyptiis elephantiasim, Indis luem veneream, Europæis morbillos et variolas excitat: verumtamen elephantiasis sponte, intimoque corporis vitio interdum emergit. pudendagra vero et morbilli extra proprias regiones numquam, sed solo attactu, ut lactis suctione, osculis, vestium et poculorum communi usu, maximè autem venereo concubitu communicantur. sicque genitalia primum labem contrahunt, quas nisi maturè deleatur, sensim omnes corporis partes pervadit, præsertim vero cutem, quas potius est illius subiectum, quam hepar, aut cerebrum, aut aliud quodvis viscus.

Divinum hoc justissimumque scortatorum flagellum gravia quibus se se prodit comitantur symptomata: plura vel pauciora pro affectionis diuturnitate et malignitatis gradu, aliis namque barba defluit, aliis capillitium, ambobus saltem: sæpe quoque pustulas in toto capite potissimumque circa frontem, aures et tempora, per corporis universitatem siccas, et crusta obductas nascuntur: ut et tophi, dentium casus, ossium teredines, dolores circa scapulas, et pericostia nocte ingravescentes. hæc omnia vel aliqua simul si omnibus non eodem remediis certa sunt luis veneræ signa, certissima si gonorrhœa virulenta, aut in pudendo ulcera, aut bubones ab impuro congressu præcesserint. Ea autem minus periculosè finguntur et facilius curantur humidi, quam sicci, omnium periculosissimè suffocantes, senes, melancholici, quique numquam morbillos et variolas sunt perpessi. omnibus contumax est, longa et solutu difficilis, licet citò et facilè contrahatur.

Rerum natura parens, et sedula conservatrix cuique morbo suum opposuit contrarium, licet per vitæ brevitatem, mentisque caligine sæpe non dignoscatur, et quamvis non omnes ferat omnia tellus, ubicunque tamen venenum producit, ibi etiam profert antidotum. In quibus enim insulis sive concubitu lues venerea singulos afficit, in iisdem sive cultu prodiit lignum guaiacum, certissimum illius alexipharmacum: singulis namque tutò ac feliciter dari potest, pueris ac senibus, viris ac mulieribus, æstate ac hyeme, omnibusque morbi temporibus frequens adhibetur, vel assumitur eius pulvis, aut cortex, aut oleum. Non enim tantum meatus aperit, humores attenuat, et per sudores excludit, sed cera etiam vi labes istius luis extinguit. hydrargyrus vero monstrum naturæ, quovis modo paratum indomita tamen manet semper illius cacoëthia, quas plus maleficii quam beneficii afferre solet. Illius tamen vesanum feliciorem tollit pali sancti decoctum, cuius inopia vel exoticas radices sarsa parilla, sassafras, et eas quas à China nomen habent, substitui potest, ante tamen horum omnium usum plethora et cacochymia phlebotomia et purgatione (quas plicas polonorum non conveniunt) submovenda, victusque ratio instituenda, quæ simul laudabilem succum generet, et excrementitium exsiccet, et putredinem arceat.

Ergo hydrargyrus non est Indicæ Luis tutum Alexipharmacum.

Asserebat Georgius Arbaud Provincialis Alpensis anno Domini . 1606.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE